

consecuti, ut ad eandem ipsam praeclarissimam rem confis-
 cionem nihil nobis relinqueretur difficultatis, nihilque negotii, ut
 media honesta pacis hujusmodi amplecterentur, persuadere ne-
 quivimus: processimusque tandem ad ejusdem pacis conclusio-
 nem, locum relinquentes eidem venetis, ut si vellent possent
 pacem ipsam honestis conditionibus amplecti, eisque scripsimus
 paterna charitate causas, non minus justas quam necessarias,
 quae nos pro totius Italiae reique publicae christianaee incolunii-
 tate ad pacem componendam impellebant, hortantes eos, ut eam-
 dem susciperent et a bello abstinerent, ac occupata restituerent,
 obtulimusque eis omnem illorum et ducis ferrariensis controver-
 siam justitia mediante sopire. Ipsi vero responsivas litteras dede-
 runt longe aliter scriptas quam legere speraremus, ferrariense
 bellum variis fucantes coloribus, quae ideo nos molestia dolore-
 que summo affecerunt: quia mentem animumque eorum a pace
 ac societate quam publicam in Italia consicere statueramus, alien-
 num esse, eosque vehementer id abhorre significarunt. Et
 quamquam statuisse bellum prosequi velle sic aperte nobis scri-
 psissent: deere vim eos adhuc aliis nostris litteris ad pacem
 amplectendam, bellumque ferrariense deserendum invitare et
 assumptos per eos colores in id negando confutare, eosque pa-
 terna, ut semper fecimus, charitate monuimus, ut accuratius ad
 ea omnia quae scribebamus animum ex religione converterent,
 nec eos dominandi libido e ratione deduceret. Nam et si victo-
 riam in manibus haberent, ut eorum ad nos litteris affirmabant,
 eo major honos et laus eis foret, si communem pacem omnibus
 aliis postpositis amplecterentur. Contra vero si bellum prosegue-
 rentur, uti decrevisse statuisseque affirmabant, eos scire debere se
 bellum gerere cum Christo Jesu Deo nostro et ejus sancta Ec-
 clesia, pro cuius honore et defensione Ferrariae rebus omnibus
 divinis et humanis adesse curaremus, gererentque bellum etiam
 cum reliquis Italiae potentatibus, qui Ecclesiam Dei et Italianam
 ipsam per eosdem labefactare non sinerent, haberentque quoque